

vit, ut translatio fieret onerum ad Ecclesiam S. Annæ, in cuius aliquo sacello apponetur Icon S. Blasii, et dummodo valor cæmentorum, et soli investiretur, et cederet, una cum domuncula favore Parœciæ Majolati et per Franciscum Manciam assignaretur idoneus fundus ab Episcopo approbandus pro implemento quatuordecim missarum. In Æsina Permutationis die 6 Aug. 1808.

(44. Dominico Bartolini postulanti ante novam ædificationem Metropolitanæ Ecclesiæ Camerinensis summam scutorum 488, 60, a se subministratam ob prosecutionem Fabricæ Ædium Parochialium, et Ecclesiæ *di Frontillo* in Agro Camerinensi positæ, et a terræmotu concussæ, respondit S. Congregatio, provisum jam esse a Rescripto SS. per Cl. Mem. Card. Carandini dato die 12 Januarii 1808, sequentis tenoris «SSmus mandavit taxam impositam in agro Camerinensi pro Fabrica Ecclesiæ Cathedralis, hac expleta, erogandam esse præ cæteris favore Parochialis Ecclesiæ Frontilli ad effectum reintegrandi Dominicum Bartolini subventorem sumptuum ad eam explendam Fabricam concurrentium.» In Camerinen. Ædificationis Ecclesiæ die 25 Januarii 1815.

(45. Antequam decerneret Sacra Congregatio, cujus sumptibus recuperanda sit Ecclesia S. Andreae Paleani Prænestinæ Diœcesis, prorogavit iudicium, et in executionem præcedentis decreti 21 Maii 1820, statuit, ut Eminentissimus Episcopus dignaretur præfigere terminum unius Mensis ad exhibendum statum activum et passivum Præbendarum et beneficiorum in dicta Ecclesia existentium, nec non ad docendum de erogatione scutorum 486 in reparationibus Ecclesiæ. In Prænestina reparationis Ecclesiæ die 9 Julii 1818.

(46. Fatiscentem, ac nimis angustam Parochialem Ecclesiam S. Mariæ Nosciani noviter ædificandi facultatem illius Parocho Vincentio Monti facto verbo cum SSmo concessit Sacra Congregatio juxta Votum Episcopi, approbans deficientibus ordinariis media extraordinaria, nimirum venditionem trium censuum, nonnullarum domuncularum et honorum legati missarum Pedrucci. In Fanen. Reædificationis die 18 Septem. 1818. ad 1 dubium.

(47. Parocho Ecclesiæ S. Mariæ Nosciani Fanensis Diœcesis perpetuum onus missarum quadraginta pro legatis impositis super tribus censibus, et nonnullis domunculis, nec non aliarum viginti pro bonis Petrucci in singulos annos celebrandarum imposuit Sacra Congregatio, postquam eorum omnium honorum ad parœciam spectantium venditionem, facto verbo cum SSmo permisit ut præfata fatiscens, ac nimis angusta Ecclesia reædificari posset. In Fanen. Reædificationis die 18 Sept. 1818. ad 3 dub.

(48. In excitata controversia inter Capitulum Collegiatæ Oppidi Paleani, et Administratores Patrimonii Columnæ, ad quem nimirum de jure pertineret onus reparandi Ecclesiam eam collegiatam, cum a Capitulo in sui defensionem post exaratum folium D.

Secretarii, ac tantum paucos dies ante resolutionem exhibita fuerint jura, Sacra Congregatio, ut maturius procederet, definitionem distulit quoad jus, et titulum utriusque partis; sed quia Ecclesia sollicita indigebat reparatione, et ex Capitulo allegatione constabat ex tercentorum annorum consuetudine Ecclesiam reparatam fuisse a Familia Columna, etiam post protestationes ab hac emissas, voluit ut interim non retardaretur reparatio sumptibus hujus Patrimonii: in Prænestina reparationis Ecclesiæ Collegiatæ die 18 Sept. 1818.

(49. Sacra Congregatio, prorogato iudicio de iis, qui tenerentur ad reparationem Ecclesiæ Collegiatæ Oppidi Paleani, decrevit, ut firma remanente provisional resolutione diei 18 Septembris 1818, exhiberetur Status activus et passivus omnium præbendarum, et beneficiorum Ecclesiæ S. Andreae erectæ, nec non statuit, ut conficeretur, ac transmitteretur peritia expensæ necessaria pro omnibus reparationibus, et causa repropineretur, citatis omnibus interesse habentibus. In Prænestina reparationis Ecclesiæ die 27 Maii 1820.

(50. Principem ab Auria Pamphyli, seu Patronum teneri ad reparandam, et ornandam Ecclesiam B. M. V. *dell' Ajuto* in territorio Montis Clavelli respondit S. Congregatio eidem patrono sciscitanti, quis ad hoc onus teneretur, cum nec Beneficiatos, nec redditus ad id assignatos, nec populum sibi subjectum ea Ecclesia haberet. In Balneoregien. die 17 Julii 1820, ad 3 dub.

(51. Deficientibus aliis mediis a jure statutis pro reparanda Parœcia Montis veteris Bricinorien. Diœcesis, Sacra Congregatio, attenta consuetudine, statuit concedendam esse Episcopo facultatem statuendi decimam prædialem in annuis scutis octo per æs et libram, solvendis etiam a possessoribus non residentibus. Quo vero ad Parœciam Bonaldæ dixit Episcopus teneri ad Ecclesiæ mantentionem, acceptis tantum scutis quatuor sponte oblati a Parochianis. Hujusmodi decimarum exactionem, et administrationem Parochis, docto quotannis coram Episcopo de erogatione, committendam esse voluit Sac. Congregatio. In Bricinorien. Parœciarum die 29 Maii 1824, ad 1 et 2 dubium.

(52. Confirmandum esse decretum Vicarii Generalis Lucanæ Archidiœcesis, quo præscripta fuit remotio Scannorum seu Sedilium ab Ecclesia S. Frigidiani, censuit Sacra Congregatio, præsertim quia decretum hoc latum fuit ad vitandum seditionem, jurgia, et scandala, quæ frequenter illorum sedilium causa in supradicta Ecclesia eveniebant. In Lucana die 25 Januarii 1825.

(53. Standum esse in decisis respondit Sacra Congregatio quoad remotionem hujusmodi sedilium, eo vel magis quod Joannes Mathias Banchieri nullimode suum apertum jus probaverit. In eadem die 22 Martii 1825.

(54. Antequam decerneret S. Congregatio, cujus sumptibus recuperanda sit Ecclesia S. Andreae Paleani Prænestinæ Diœcesis, prorogavit iudicium, et in executionem præce-

dentis decreti 22 Maii 1820, statuit ut Eminentissimus Episcopus dignaretur præfigere terminum unius mensis Capitulo ad exhibendum statum activum, et passivum Præbendarum, et Beneficiorum in dicta Ecclesia existentium, nec non ad docendum de erogatione scut. 486, in reparationibus Ecclesiæ. In Prænestina reparationis Ecclesiæ die 9 Julii 1825.

(55. Ob necessitatem reædificandi Parochialem Ecclesiam S. Mariæ Nosciani Fanensis Diœcesis, et ob aliorum mediorem defectum consulendum esse SSmo censuit S. Congregatio pro concedenda venditione servatis servandis trium censuum nonnullarum domuncularum, et honorum legati Pedrucci spectantium ad præfatam parœciam. In Fanen. Reædificatio. die 18 Septem. 1818, ad 2 dubium.

(56. Cum nulla suppetat Canonica ratio, quæ cogat Ecclesiam S. Antonii de Gajana se jungi ab Ecclesia Parochiali S. Laurentii de Varignano, eoque minus in titulum parochialem erigi: contra ratione loci ac distantia majus sibi commodum pro rebus sacris expostulent qui ad Sanctum Antonium de Gajana accolunt, statuit Sacra Congregatio in hac Cappellanum Curatum stabiliri, servatis servandis cum assignatione primitiarum juxta votum Eminentissimi Archiepiscopi. In Bononien. Dismembrationis die 30 Maii 1835, ad 1 et 2 dubium.

(57. Pecuniæ cumulum qui promanaverat ex sacris non litatis in præscriptis Ecclesiis ob earum suppressionem nunc, cultu restituitis erogandum esse a Gente Pallavicinia ut in eisdem Ecclesiis inadimpletis oneribus fiat satis definiit Sacra Congregatio. In Bononien. Cappellaniarum. die 30 Maii 1835, ad 8 dub.

(58. Ea quæ producta fuerunt dubia quoad Restaurationem Ripanæ Cathedralis Sacra Congregatio censuit resolvere ad primam post aquas, interim vero decrevit ut Communitatis sumptibus aquæ removerentur, quæ circum muros Ecclesiæ fluentes Fabricæ ruinam minitari videbantur, et notificaretur D. Præsidi Provinciæ, et ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo ad mentem. In Ripana Restaurationis Ecclesiæ Cathedralis die 22 Augusti 1835, ad 1, 2, 3, 4 et 5 dub.

Pro Fabrica Parochialis Ecclesiæ S. Valentini absolvenda proportionatos fundos secernendos esse juxta votum Episcopi in omnibus respondit. In Ferentina Reædificationis Ecclesiæ 13 Augusti 1836. ad 1 et 2 dub.

(59. Ex decreto, quo perpensa relatione Episcopi Viterbiensis petita a Parocho ad S. Mariæ a Podio data fuerat facultas demolendi Ecclesiam S. Mattei eamque convertendi in usum profanum ad formam Tridentini, persentientes E. Patres exoriri graves querelas, suspendi interim executionem rescripti diei 13 Mensis Aprilis, prædictisque partibus ad deducendum jura sua in S. Congregatione terminum inprimis mandarunt, deindeque allegationibus hinc inde exhibitis mature perpensis, propositis dubiis quibus

de rescripti executione quærebatur; et quantum negative an, et cujus sumptibus esset in pristinum restituenda Ecclesia S. Mattei, rescripserunt ad D. Secretarium juxta mentem. In Viterbien. demolitionis Ecclesiæ 20 Martii 1838. ad 1 et 2 dub.

(60. Ad reædificandam parochialem Ecclesiam D. Vitalis in Civitate Assisinensi, a fundamentis terræ motu subversam cæteris deficientibus remediis declaravit S. Cong. teneri populum, et possidentes in districtu Parœciæ per æs et libram. Assisien. Reædificationis Ecclesiæ Paroch. 24 Martii 1838.

(61. Cum ære collato ex redditibus Sacram, ex Parœciali censu, et ex Beneficiorum præbendis nondum satis consultum foret necessitatibus Ecclesiæ Curiolani S. Mariæ Gaudentium Ferentini, diuturnique operis curatio administrationi Divini cultus, populi commodò, et fabricæ ipsius tuitioni sumopere obesset, Sacra Congregatio ad opus quodocumque absolvendum facile indulsit, ut cum ex summa scutorum mille pro qua illud jam prodierat rescriptum, scuta dumtaxat 600 recepta fuerint ex censu cum Taxis conciliato, novum crearetur debitum scutorum quingentorum rescribens precibus in id causæ a Promotore Fiscali datis affirmative in omnibus juxta votum Episcopi. In Ferentina Pensionis et Reparationis Ecclesiæ die 30 Martii 1838.

(62. Cum in Apostolico Indulto a S. M. Benedicto XIV familiæ Amati concessio retinendi fenestram in Ecclesia S. Juvenalis generalia verba fuerint adhibita; Sacra Congregatio hujusmodi jus Aloysio Blasetti uti Palatii Emptori competens, dixit. In Reatina Qdei die 14 Junii 1838.

(63. Cum ad novam extruendam Parochialem Ecclesiam in Terra Musta impares reperti fuerint redditus a Felice Calleja relictis, primum subsidium tulerunt Parochus, alique presbyteri eidem Ecclesiæ mancipati, ac Parochiani, subinde a S. Ordine petita est condonatio fructuum quorundam Patrimoniorum et subsidiorum dotialium, qui in usum Fabricæ jam erogati fuerant, eo quod nullus de certo vocatorum genere extitisset; ac præterea ipsorum suspensio usque ad Fabricæ complementum: S. autem Congregatio ad primum respondit: *Affirmative salvo jure puellarum, quæ jam electæ fuerant facto verbo cum SSmo.* idemque respondit ad alterum, salvo tamen quoad patrimonium jure passivo vocatorum de certo genere, si adessent etiam quoad tempus; circa vero subsidia dotialia, firmis dotationibus consanguinearum, quæ legatum jam expostulaverant. In Melvilana Reædificationis Ecclesiæ ad 1, 2 et 3 dub. die 9 Julii 1838.

(64. Unius autem ex dictis Patrimoniis suspensionem favore Fabricæ impediende quodam Clerico Alphord, qui, cum esset ex certo vocatorum genere, jam fuerat nominatus, conditione tamen adjecta ne posset fructus percipere donec ad SS. Ordines promovetur ad formam foundationis, quamvis causam adduceret, quod nemini in ea Diœcesi Tonsura initiari sine titulo liceret ex

lege motus proprii S. M. Pii Sexti, quod si præcivisset Fundator, haud SS. Ordines requisivisset; PP. EE. illius precibus absolute rejectis hujus quoque Patrimonii fructus in usum Fabricæ convertendos esse dixerunt. In eadem ad 8 dub.

(65. In ejusdem Fabricæ utilitatem conventi fructus quoque Beneficiorum liberæ eo lationis in posterum vacaturorum, de loci consuetudine successione reservatos, ab ipso vacationis puncto usque ad provisionis diem decurrentes postulantiibus Fabricæ deputatis, S. Congr. annuit precibus quoad Beneficia in Parocciæ tantum districtu erecta, dum vacarent facto verbo cum SSmo. In eadem ad 4 dub.

(66. Cum vacasset in Ecclesia Cathedrali Canonicatus quidam, collatus fuit Clerico Francisco Schembri, qui, dilata per quadrimetra ob exortas quasdam controversias novi Canonicatus possessione, et hujus, et alterius, quo potiebatur, fructibus se gaudere contendebat, at, contradicente Ecclesiæ Mustensis Parocho propter duorum Canonicatum incompatibilitatem, concordia inter contendentes inita est, qua Canonicatus Schembri ex scat. melit. 4000 durante vacatione collectis, 1000 dumtaxat favore Fabricæ se cessurum spondit. S. Congr. prædictorum fructuum applicationem juxta concordiam approbavit facto verbo cum SSmo. In eadem ad 5 dub.

(67. Vacantis Beneficii Kala nuncupati proventus Apostolica Dataria diversis addixit Melitensis Diocesis Parocciis, assignatis cuiuslibet respectivis quotis, quarum vel jam depositæ traditarum, vel in posterum percipiendarum applicationem favore Fabricæ Mustensis Ecclesiæ postulantiibus deputatis, ea præsertim ratione, quod aliqua Parocciæ jam erectæ fuerant, et de aliarum erectione contendebatur. PP. EE. preces remiserunt ad Datariam Apostolicam præventam. In eadem ad 6 dubium.

Ad ejusdem Fabricæ explendæ effectum bona Parocciæ Ecclesiæ hypothecandi facultatem administratoribus prædictis concessit S. hic Ordo, salva tamen Parochi congrua, et minori quo fieri posset interursio, cum onere deponendi scat. melit. 100 quotannis ad effectum contracti nominis extinguendi, incipiendo post cessationem alterius indulti ab illis jam ab anno 1835 obtenti, ad quinquennium sub pœnis etc. docto etc. et persolutis interim fructibus. In eadem ad 7 dubium.

(68. Cum reedificanda esset Ecclesia Parochialis Civitellæ Aleani ictu fulminis devastata; et constitisset ex vetustissima consuetudine Municipium principaliter ad Ecclesiæ manutentionem teneri, concurrentibus ex parte Sodalitatibus, Em. PP. jusserunt Ecclesiæ illius reparationem per communitatem explendam esse, subministrata aliqua quota a Parocho, Beneficiis, et Sodalitiis. Balneoregion. Reparationis Ecclesiæ Paroc. ad 1 et 2 dub. die 15 Septem. 1838.

(69. Episcopo Montis Alti a S. Congregatione postulanti remedium occurrendi ex-

pensis pro reparatione Ecclesiæ Cathedralis tenuissimis dotatæ redditibus: providendum esse PP. EE. rescripserunt per impositionem mediæ annotatæ; quin apposita desuetudo obstaret; aut quod beneficia juris patronatus extarent, ad formam Constit. S. M. Bened. XIII, *Pius et Misericors.* Montis Alti Visitationis die 24 Novemb. 1838.

(70. Quidam Archipresbyteri Ecclesiæ Parocciæ Sambucæ reliquerant redditus unciarum ultra 52 ea mente, ut inter Presbyteros dividerentur ab ipsius Ecclesiæ Archipresbytero pro tempore ad nutum eligendos, qui una cum ipso divinum in ea Ecclesia celebrarent pro eorum suffragio officium, unciis cuiuslibet senis distributis. Jam vero cum unciæ sexaginta circiter superextarent ex distributione hujusmodi præteritis annis peracta, et præterea unciæ 20 pro Missis non celebratis, petiit a S. Ordine Archipresbyter actualis Vitis Planeta eorum reddituum applicationem, nec non præfati officii celebrationis suspensionem favore Fabricæ Ecclesiæ, quam perpoliendam et instaurandam susceperant: S. Congregatio certiorata ab Episcopo, quod nullum ex implorata suspensione obveniret divino cultui detrimentum, nulliusque juri quæsito præjudicium, salva quinque unciarum distributione favore Josephi Cacioppo, quæ titulo Patrimonii Saceri fuerant illi assignatæ, in reliquis precibus annuit Archipresbyteri Oratoris. In Agrigentina Instauracionis Ecclesiæ die 17 Decem. 1838.

(71. Proposito dubio an et quomodo sit occurrendum reparationi Oratorii S. Andree ad Crucem Clivi Brancolensis in Lucana Diocesi, cujus necessariam restitutionem asserebat Parochus, ut Parocianis, quorum complures duo milliaria ab Ecclesia Curionali distant, celeriter prompteque adjuvandis præsto sit eosque vero ut plurimum in summa mendicitate esse, nihilque posse inde quæriri; S. Congregatio rescripsit affirmative per Patronos, et ad mentem. Mens est ut, iis deficientibus vel renuentibus, curet Archiepiscopus reedificationem Oratorii, ad tramites Concilii Tridentini, erogatis in id opus Libellis 400 per Sodales suffragii solvendis. In eadem ad 4 dub.

(72. Ut reedificationi Ecclesiæ Parochialis S. Valentini Ferentini in Hernicis conficiendæ, de qua quinquies, sed diversa facie apud S. H. O. actum fuerat, eo quo fieri poterat modo optularetur, S. O. ad preces deputatorum Fabricæ concessit per triennium suspensionem vacantis Præbendæ dato responso: Affirmative in omnibus juxta votum Episcopi, facto verbo cum SSmo, et notificetur ministris Datarie Apostolicæ. In Ferentina Reedificationis Ecclesiæ die 23 Martii 1839.

(73. Translationem Ecclesiæ Cathedralis ab antiqua ad novam Casertam cum postularet Episcopus, ut majori Civitatis cultusque divini decori melius consuleret, EE. PP. rescripserunt, non proposita, et ad mentem. In Casertana Translationis Ecclesiæ Cathedralis die 27 Apr. 1839.

(74. Iterum discussa, instante Communitate Civitellæ Aleani controversia, quæ de collabentis Parocciæ Ecclesiæ reparatione eam inter ac Parochum acta fuerat comitiis diei 15 Septembris anni 1838, in decisis perstitit S. Ordo, decernens impensas pro reparatione, de qua in casu, esse sustinendas per Communitatem, subministrata a Parocho, Beneficiis, et sodalitiis aliqua summa, prudenti arbitrio Ordinarii taxanda et amplius: In Balneoregion. Restaurationis Ecclesiæ Parochialis die 1 Febr. 1840.

(75. Opem postulaverat Archipresbyter S. Constantii, ut præsentibus Ecclesiæ reparationibus provideretur, nec non ejusdem manutentioni, ac sacrarii necessitatibus in futurum; eandem Ecclesiam causatus dives suum patrimonium omnino amisisse, quod Ducali Leutembergensi familiæ fuerit ad dictum: propositumque mox in expeditum finem converti redditus piæ hæreditatis Bolognesi in officii generalibus impendendos, nec non erogari scutata quadraginta penes se deposita pro lite adversus hæreditatis jura mota, ac postea derelicta. At EE. PP. præsentibus tantum necessitatibus consulentes rescripserunt, esse providendum pro impensis actu necessariis, erogatis quadraginta scutatis ex deposito hæreditatis Bolognesi, nec non aliis decem in præsens superextantibus, atque pro hac vice tantum, subministratis a parocho, et cæteris Beneficiatis scutata triginta, celebratis decem missis lectis, et una cum cantu cum assistentia totius Capituli, et Cleri, facto verbo cum SSmo; quoad futurum vero mandarunt, ut Episcopus curaret expensarum reformationem, et proponeret alia media. In Fanen. Instauracionis Ecclesiæ, ac Commutationis Voluntatis die 11 Julii 1840.

(76. Cum Parochus Ecclesiæ S. Vitalis exposuerit Parocciæ Ecclesiæ urgenti reedificationi occurri incontinenti per taxam a populo identidem persolvendam, veniam postulavit mutuo accipiendi pecuniam, quæ de dotalibus subsidiis nondum solutis extat penes Sodalitium S. Stephani, obtinuitque juxta votum Episcopi, nempe emissa obligatione in forma juris valida, ratam portionem restituendi, prout puellæ in sæculo, vel in Domino nupserint, ac præstito idoneo fundo hypothecariæ inscriptioni subjiciendo, facto verbo cum SSmo. In Assisien. Reedificationis Ecclesiæ Parocciæ die 22 Aug. 1840.

S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. Si Monasterium, discedentibus monachis, ab eo, qui potestatem habet, alienetur, non censetur vendita Ecclesia Monasterio adnexa, etiamsi eadem in contractu non nominetur, et clausa aliquo tempore maneat. Quod eruitur ex sequentibus.

In hac ultima Gallorum irruptione, cum omnia bona ecclesiastica occupatoris arbitrio distraherentur, Monasterium S. Joannis oppidi Civita-Nuova, quod inhabitabant San-

ctimoniales a S. Clara nuncupatæ, una cum aliis ecclesiasticis bonis Principi de Beauharnais, tunc Italiæ vice Regis fungenti, adjudicata fuerunt.

Restituto vero pontificio Regimine, idem monasterium sub ejusdem dominio perstitit, tituloemphyteusis ex auctoritate S. M. Pii VII eidem concessum. At Princeps de Beauharnais, eodem Pontifice auctorante, monasterium cum illis, quibus acceperat, juribus in Comitum de Saint-Leu publico instrumento transtulit.

Cum vero E. Firmanus Ordinarius sacram visitationem perageret, comperit Ecclesiam quæ Monasterio inhærebat, tam structura conspicuam, quam vetusta veneratione celebratam ex jussu Procuratoris Necotiorum E. Domini in usum profanum adhiberi. Itaque suo decreto constituit, ut omnia profana impedimenta ibidem deposita auferrentur, et Ecclesia publico Dei cultui restitueretur. Ad hanc rem per litteram officiosam datam die 13 Februar. 1838, eundem Procuratorem monuit, ut intra mensium duorum spatium eandem Ecclesiam sibi traderet. Quod cum Procurator ille recusasset, res deducta est ad S. C. Ep. et Reg. et dubium in partium contradictione concordatum « An et quomodo sint servanda decreta edita ab Archiepiscopo in actu sacræ Visitationis in Casu? »

Decreta, de quibus hic agitur, binum caput respiciebant: primo nempe ut restitueretur ecclesia antiqui monasterii; secundo ut item restitueretur quoddam pratium ab eodem Comite possessum. Cum tamen ante causæ propositionem, E. Archiepiscopus circa pratium renunciationem emisisset, hinc nullo de eodem facto verbo, quæstio de ecclesia dumtaxat disceptata fuit.

E. Archiepiscopus uti cardinem statuebat in Comitum de Saint-Leu ea tum jura transivisse, quæ antea Principi de Beauharnais inhærebant, nempe dominium solius monasterii sine Ecclesia, ut verba ipsa indicant, quæ in instrumento adhibita sunt — *Monasterio di S. Giovanni di Civita-Nuova, locale ad uso padronale.* — Contendebat enim neque ex mente Gallici Occupatoris, qui jus commune Ecclesias extra commercium ponens in eo robore reliquerat; neque ex mente Pontificis Emphyteusim constituentis, quæ potius erat in casu respicienda, in Monasterii traditione Ecclesiam, quam non nominarunt, comprehendere voluisse. Neque itidem confugium haberi posse aiebat ad Doctorum opinionem, qui e contra auctores sunt nomine monasterii Ecclesiam non venire, cum illud hominibus, hæc Deo inserviat. Thuse. ve. Monast. Conc. 338.

In confirmationem vero proferebat Archiepiscopus duas causas prorsus simillimas et in casu fortasse duriori quæ favore Ecclesiæ non vero Domini monasterii decretæ fuerunt; una nempe a S. C. Conc. in Spoletana Ecclesiæ, 12 Sept. 1829; altera ab hac ipsa S. C. Ep. et Reg. videlicet Romana Alienationis Ecclesiæ hoc ipso anno definita. Perperam vero contendebat opponi, quod